

vicarius generalis. Iuste petentium desideria non immerito sunt effectui mancipanda, maxime cum id petitur, per quod cultus divinus, cui debetur favor plurimus, adaugetur. Petente siquidem a nobis nobili viro Meinhero Misnensi burgravio, ut in villa Cethen iuxta Lomatz<sup>a)</sup> sex maldra siliginis et totidem hordei, unum maldrum avenae et unum modium papaveris, in villa quoque Clanczchuwitz iuxta Ganam<sup>b)</sup> viginti modios tritici et totidem hordei, quatuor modios humuli et quatuor solidos denariorum Vribergensis monetae annuae pensionis in districtu Misnensi sita, quae a Romano imperio et a nobis tenebat in feodum, resignatione praedictorum bonorum per eum iam libere nobis facta dignaremur dare ecclesiae Misnensi, ut perpetua instituat ibidem sacerdotalis vicaria, in qua perpetuo benefactorum memoria peragatur. Nos praedicti burgravii precibus favorabiliter utpote rationabilibus inclinati, praedicta maldra et modios tritici, siliginis, hordei, avenae ac humuli et solidos denariorum Vribergensium auctoritate nobis commissa damus eidem ecclesiae, ut in ea de ipsis constituatur sacerdotalis vicaria, prout superius est expressum. In cuius rei testimonium praesentes litteras exinde fieri fecimus et maiestatis nostrae sigillis iussimus communiri. Datum Praegae per manus venerabilis Petri Basiliensis episcopi, praepositi Wissegradensis, regni Boemiae cancellarii, principis nostri dilecti anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, decimo nono Kalendas Septembris, duodecima indictione, regni nostri anno tertio.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem ziemlich wohlerhaltenen Siegel des Königs an Fäden von rother und gelber Seide.

Hasche Magazin VIII. S. 407.

a) Zöthain, Par. Lommatzsch. b) Clanzschwitz, Par. Jahna.

### No. 332. 1299. 9. Dec.

*Erzbischof Burchard zu Magdeburg entscheidet in einer Streitigkeit zwischen dem Bischof und dem Kl. Suselitz und verurtheilt Ersteren zu Herausgabe und Schadenersatz.*

Burchardus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus reverendo in Christo fratri domino Al. Misnensis ecclesiae episcopo sinceram in domino karitatem. Cum in causa, quam coram nobis contra vos movent et moverunt abbatissa et conventus in Suselitz ordinis sanctae Clarae, instructi tam per privilegium domini Henrici quondam marchionis Misnensis, quam etiam per legitima documenta diffinitive pronunciamus, bona in Goluz<sup>a)</sup> et censum ibidem videlicet septem et dimidia marcarum Vribergensis argenti ad praedictam abbatissam et conventum de iure pertinere, et vos censum eorundem bonorum per duos annos usque ad marcas quindecim contra iustitiam percepisse, sinceritati vestrae in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus infra hinc et festum purificationis proximum, praedictas quindecim marcas eisdem abbatissae et conventui integraliter refundatis, ipsosque in possessione et perceptione praedictorum bonorum et census ibidem amplius nullatenus molestetis vel impediat, seu etiam inpediri per quemquam aliquatenus procuretis, sic faciendo ne propter

a) Gohlis bei Riesa.